Michael Denis: Codices Manuscripti Bibliothecae Palatinae Vindobonensis Latini Aliarumque Occidentis Linguarum. Vol. I. Pars III.

Wien, 1794 Seite 3085

Quelle:
Copyright:

illum in ditione *Bononienſi* ſitum fuiſſe mihi ſuadet Feſtum *Sanctae Reparatae Virginis et Martiris* in *Calendario* ad diem 8. *Octobris* minio expreſſum, quae Virgo apud *Bapt. Mantuanum Faſtor.* L. 10. ita loquitur:

Caeſarienſis eram vivens; poſt fata cadaver
Venit in arva meum Feſulis ſubjecta, cubatque,
Qua Tuſcus decurrit aquis torrentibus Arnus.

Calci Libraria Viros imitata ſubſcripſit: *Qui ſcripſit ſcribat. et ſemper cum domino uiuat. Uiuat in celis in ſuo nomine felix. Qui legentium orationes pro merito karitatis expoſtulat. Anno domini. M°. CCCC° LIII.* (quod ultimum manifeſte corruptum eſt, ſubpoſito LXXXX.) *die uigeſimo quinto menſis Madij. Deo gratias. Amen.*

DCCCLVII.

790 Codex membraneus lat. Sec. XIV. Folior. 206. 8. eleganter exaratus, Iconibus picturatis 6. et variis initiorum literis auro, coloribusque illuſis viſendus continet Pſalmodiam Chori ferialem, praemiſſo Calendario et ducto a Die dominica initio. Litaniae OO. SS. primis foliis a recentiore manu adſcriptae ad *Bohemiam* pertinent. Sed et totum *Codicem* illuc pertinere, e ſequentibus fit manifeſtum. Rubricae Horarum plerumque germanicae ſunt. Ita: *ze Terze. ze Sexte. ze None. ze Veſper. Alſo ſprich des ſuntages. Des mantages Mettiu* &c. Verum a *fol.* 54. Pſalmis et Precibus frequenter alia manu interjectae ſunt Formulae eroticae, quibus non erat hic locus. Videlicet: *Katruſſye ma myla.* Quaſi dicas: Catharinula mea Dilecta. *Ma myla zmylelyczko zbledielo twe lyczko.* Mea cara Dilectula! impalluit tua faciecula. *Tyelo mlado Srdcze weſſelo.* Corpus juvenile Cor hilare, et ſimilia bellaria, quae ab importuno quodam ſacrae Virginis Proco infarcta putem. Fuiſſe enim *Breviarium* iſtud ſcriptum in uſum antiquiſſimi Parthenonis S. *Georgii* in Caſtro *Pragenſi* demonſtrant ultimae duae Icones, quarum prior B. Virginem exhibet adgeniculante Antiſtita pedo inſtructa, infra quam Aquila *Kolowratiana*, altera S. *Georgium* adſtituto ei itidem genu flexo Canonico palliolo pelliceo humeros tecto. At vero Parthenoni huic ab a. 1363. *Eliſabetham*, ab anno vero 1387. *Cunegundem*, utramque illuſtri *Kolowratiorum* ſtirpe prognatam praefuiſſe diſco e *J. Flor. Hammerſchmidtii Hiſtoria* hujus Parthenonis edita *Pragae* 1715. 4. p. 96. et ex eadem p. 4. adfuiſſe ſacris Virginibus *Canonicos*, quorum, qui Presbyteri erant, in die OO. SS. pro *Superpelliceis* decem Groſſos recipiebant. Quod ſi quis illo Canonico repraeſentari velit *Ho-*